

EPISTOLA

fluviale *Leonum* tuorum initium, fontanam tuorum *Ponciorum* originem conspicuam esse, & patentem unam, alteram verò abstrusam & latentem. Huic *Phiala* nomen dederis inperscrutabilis profunditatis, ac perpetuò aquis plena; illam *Panium* appellaveris, id est, *puram, sinceram, candidam undique & ubique*. Quò illa patentior, eò augustior per exploratos nobilitatis traduces, plaudentibus Historiographis & Annalibus, authenticis Regum privilegiis, & aliis retinenda antiquitatis Sacramentis. Quò hæc abstrusè latentior, eò religiosè venerabilior, & quodam modo divina, dum supra humanæ mentis intelligentiam videatur eminere.

Etenim sint, qui generosam *Poncia* tuæ Familiæ profapiam initiatam autument à Romana *Ponciorum* Familia inter Romanos nobilissima, & usque adeò annosa, ut jam floruerit annis ante Christi ortum quadringentis; ac tantopere præclara, ut multos ediderit Romanorum imperio strenuissimos bellatores, egregios Patrios, patriæ assertores; imò & Catholicæ Ecclesiæ, præterlabentibus ævis, viros non paucos in Sanctorum album adscriptos, atque inter purpuratam Martyrum cohortem enumeratos. Hæc profectò tuæ Familiæ origo *Phiala* est latens, abstrusa, atque adeò augusta. Sint etiam, qui hujus abstrusi fontis crystallinas aquas, per occultos meatus subterraneos transmittant ad Galliam Narbonensam, quæ nobilis Colonia fuit *Ponciorum* Romanorum, à quibus Comites de *Tolosa* & sancto *Ægidio*; Comites de *Tripol* & de *Minerva*, eo in pretio & honore à Francorum Regibus habiti, ut Galliarum *Pares* (quos vocant) fuerint creati. Hoc jam non ita latens *Jordanis* initium, non ita abstrusum *Poncia* Familiæ tuæ principium; nam caput hîc effert sublimissimum *Minervæ Castellum*, decantatissimum *Ponciorum* fortalitiū, munitissimum in Francia præsidium, ac primum tantæ profapiæ apud Gallos Domicilium, quod Hispani vocamus *Solar*.

Verum enimverò conspicuum, patens, ac princeps exordium, à quo generosè propagata tua *Ponciorum* à Leone præclarissima Gens, *Poncius* extitit Comes de *Minerva*, filius Comitum de *Tripol*, & Comitissæ Madamæ *Ceciliæ Philippi* Galliarum Regis filie. In Hispaniam divertit ille (ad summa quæque feliciter transplantatus) ad Regiam Regis Castellæ & Leonis principem sedem, cum adhuc vix octodecim esset annorum, à quo honorificè exceptus, sublimissimè evehctus, donariis multis ditatus, & adactus Privilegiis honorificentissimis. Uxorem duxit DD. *Stephaniam Ramirez*, filiam Comitum DD. *Ramon Frislez*: à quibus tua propagata Familia Regio semper, per matrimonia multa, purpurata sanguine, generosis nobilitata Heroïnis, ac Regiis Diplomatum prælustribus dilaudata sumptuosius. Hîc aliud superbum verticem extollens videre licet *Ponciana* tuæ Domus Domicilium, Castellum nempe apud Hispanos propè *Leonis urbem* celeberrimum, unde *Leonum cognomentum* Tibi, tuisque Progenitoribus: imò (ut *Ambrosius de Morales* nobilis Regis Catholici *Philippi II.* historiographus contestatur) hoc Castellum eodem *Minervæ* nomine condecoratum, quo primum illud apud Gallos. *Minervæ*, sive *Palladis* hic factus est: da, ô *Minerva*, da, ô *Pallas*, donativa nobilissimæ *Ponciorum* Genti, Regiæ *Leonum* profapiæ. Dedit, dedit planè non ficta *Minerva*, non fictitia *Pallas*, sed vera Dei Opt. Max. obsecundans Providentia, dedit Leoninam fortitudinem, invictum robur, virtutem præcellam, generosos ausus; dedit per omnem ætatem inclytos Heroës, Principes viros, invictos Duces, quorum ductu abactæ hostium insultantes acies, Saracenorum potissimum, qui à Leonina *Ponciorum* prole pugnaci, feroci, magnanima detriumphati sepe sepius, conculcati, deperditi. Testes appello expugnata à *Ponciis* Leonibus oppida quamplurima, quæ tanquam generosè opulenta Maurorum spolia, eorum posteris hereditario jure nunc possident. Testem advoco *Gaditanam Urbem*, *Insulam*, & fretum ad *Herculis columnas*, ad Orbis terminum (ut constituit anti-

quitas)

DEDICATORIA

quitas) ab Excellentissimo Comite D. D. *Joanne Poncio de Leon* expugnatam, & à Regibus ei donatam honorariis Marchionis, ac Ducis postmodum, *Gadium* titulis. Atque, ut interim alia prætermittam, invoco *Marciam*, sive *Martiam* olim dictam, & nunc vulgari idiomate *Marchena*; Romanorum Coloniam, Episcopatus olim splendore conspicuam; nec non & in ea celeberrimum de *la Mota* Castellum, sedemque Excellentissimorum Ducum de *Arcos*, jure quidem bellico suis datam Progenitoribus. Certè omnia, ut cernis, omnia bellica insonant, omnia *Martia*. Castellum de *Minerva* Gallicanum, aliud item de *Minerva*, & de *Leone* in Castellæ ac Leonis Regno; unde *Leones* nuncupati *Ponci* Principes. *Minerva*, sive *Pallas* bellatrix Dea, bellorum præses, custos fortalitorum, ac turrium, armigera, invincibilis, triumphatrix. Quid mirum, fuerit tua omnis *Ponciorum* Familia adeò bellicosissimorum Heroum ferax, qui pro fide, pro religione, pro Patriæ, pro miserorum salute depugnarunt, expugnaruntque Leonina fortitudine, acrimonia, animositate, generositate?

Sed quorsum hæc, ô mi Princeps? Ut animadvertas inprimis quàm integrâ, quàm perfectâ, quamque numeris omnibus absolutâ potiari nobilitate. Cum enim capita, ex quibus nobilitas petitur, tria sint præcipuè; *Genus* nimirum antiquâ illustrium avorum serie numerosum; *Religiosa* in Deum *Pietas*, ac *militaris Virtus* multo facinorum splendore insignis, hæc tria & in Progenitoribus tuis universis satis abundè præhabuisti, atque in te uno cumulatissimè habes. Nempe *ingente nobilitatis cantem* (ut nobilissimus ille *Eleazarus* appellavit *Machab. 2. c. 6.*) id est, præclaram avorum plurimorum antiquitatem, sanguinemque vetustiorum: *Religionem*, quam ad nobilitatem pertinere usque adeò verum est, ut quem supremo Sacerdotio auxerat, ob ignobilium filiorum irreligiosam impietatem, sic affatur *Deus 1. Reg. 2. 30.* *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Ac demum *Militarem gloriam*, quæ plerisque semper nobilitavit sacros Heroas, *Josue*, *Samsonem*, *Davidem*, hujusque Duces illos strenuissimos *2. Reg. 23.* De Tuis dixerim quod de *Bulgaris* *Ennodius* ad *Theodoricum* in Panegyrico: *Hæc est Natio, in qua titulos obtinuit, qui emit adversariorum sanguine dignitatem; apud quam campus est vulgator natalium. Nam cujus plus rubuerunt tela luctamine, ille putatus est sine ambage sublimior.* Profectò, etsi non ex multis aliis capitibus *Ponciorum* Gens eximiè nobilis esset, vel ab hoc uno capite, scilicet à rebus in bello præclare gestis sese maximè nobilitaret, sed inde etiam auctius nobilitata.

Verum quò ulterius hæc spectant? Ut oculatè retrospectens avitam hanc profapiam tuam rudi calamo à me exaratam agnoscas iterum, quod sæpè jam agnovisti; illam omnino esse summis honoribus stipendiariam. Hæreditaria tibi est à bonis Parentibus orta; illos imitare, ut tuâ virtute sic tibi marites alienam. Inspice (te alloquor cum *Aurelio Cassiodoro* lib. 3. Epist. 5.) *quanta tuorum laude præcipua decoreris. Culpæ genus est, non te fecisse, quod summum est.* Fecisti, quod hæc ætas tulit, facturus, quod longa (ut speramus) ætas feret. Martio sæpè calore, & avitâ generositate estuantem te vidimus, & ad res bellicas gloriose gerendas toto solo, saloque inhiantem. Invictum tibi animi robur, validus virium conatus, incomparabilis corporis dexteritas, quibus horribiles Tauros excipis, hastam ingentem quatis, equos moderaris, & exagitas, & jam videris, (ut cum *Horatio* concinam lib. 4. Od. 14.)

— Impiger hostium

Vexare turmas, & frementem

Mistere equum medios per ignes.

Quid de animi tui dotibus commemorabo, missâ interim, quam induis, externi hominis

## EPISTOLA DEDICATORIA.

hominis majestate? Optimam in te indolem omnes buccinant, prudentiam in ætate juvenili admirabilem; cana consilia, quasi inconditam plerumque juventam stipendiis juventuris exornes; benevolentiam, & beneficentiam; magnanimitatem, & liberalitatem; invidiosum alioquin Domini cognomentum, in Te dulce, & familiare: verborum paucitatem, maturitatem, pondus: benedicam linguam, nunquam maliloquam; nec infamatam usquam falsitate, aut fraudulentiâ; secreti tenacitatem incredibilem; promptissimum Parentibus obsequium, de quo inter spectatores multus est sermo; frequens, & grata prædicatio; officiosam comitatem, urbanitatem, & humanitatem miram, quarum census, & stipendium aliena omnium gratia est; blandum compassionis lenocinium, quæ aliena mala in propria recudit: erga Ecclesiasticos, ac Religiosos viros reverentiam, & quoddam famulitii genus majestate plenum: erga Deum, Deique Genitricem, hujusque Immaculatam Conceptionem, ac res sacras universas religionem multam, ac pietatem omnigenam. Quid plura? ô si ego Te Te adeò ad vivum calamo expicere valerem, quomodò olim Alexandrum penicillo Apelles expressisse fertur, ut sic vulgò jactaretur, duos esse Marchiones de Zahara, sicut tunc duos esse Alexandros jactabatur! Illud hinc abire non feram, à Te uno ampliari Progenitorum tuorum dignitatem, ac penè divinitatis affinem reddi, ut Pliniana panegyris ausus in re simili fuit: *Vna, itemque certissima Divinitatis fides est bonus successor.* Mactè igitur, Princeps Excell. memor avitæ gloriæ clarissimi retrò Poncii sanguinis: mactè, viva, atque spirans Ponciorum imago; nec solum amplissima, illustrissimaque Familia, sed multò magis avitæ, ac Paternæ virtutis legitimus hæres. Mactè, & hæc accipe minuta donaria, verba tantùm levibus mandata foliis. Sed quid faciam? *Laudatur Evangelica mulier, quia quod habuit, & fecit: ita & ego facio, quod habeo: litteras habeo, & litteras mitto.* Et cum inter linguam, & cor magnum humanæ conversationis agatur Sacramentum, cor jam diu tuum accipe, atque animum meum, quem recens destino, manu tradens fidum cultorem Tui. Accipe meæ benevolentia signum, & tuæ debitum in me benevolentia, ac generatim erga universam Societatem JESU nostram, quam in oculis habere, atque præcordiis satis ostendis. Vale, Princeps optime, quem nobis, reique publicæ Deus, ut multorum preces, & vota contendunt, diu servet incolumem. Martiæ die 8. Septembris, anno Christianæ reparationis 1660.

Excellentiæ tuæ addictissimus

ILDEPHONSUS DE FLORES.

PETRUS

## PETRUS DE FONSECA Provincialis Societatis JESU in Boetica Provincia.

**F**acultate ad id mihi facta à Reverendo admodum P. N. GOSWINO NICKEL, nostræ Societatis JESU Præposito Generali, facultatem facio, ut Liber inscriptus, Commentarius Litteralis, Panegyricus, Moralis in Caput vigesimum quartum Libri Ecclesiastici, à Patre ILDEPHONSO DE FLORES nostræ Societatis compositus, & ejusdem Societatis gravium, doctorumque hominum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. In Collegio Marcenensi nostro, die 2. Februarii, An. 1660.

PETRUS DE FONSECA.

## APPROBATIO.

**H**ic Commentarius Litteralis, Panegyricus, Moralis in Caput vigesimum quartum Libri Ecclesiastici, *eleganter & eruditè, nec non piè & utiliter, juxta sanam doctrinam, & conformiter bonis moribus, conscriptus à R. P. ILDEPHONSO DE FLORES, Societatis JESU, luce publicâ dignissimus est.* Actum 16. Januarii. 1660.

GUIL. BOLOGNINO S. Theol. Lic.  
Eccles. Cath. Can. & Lib. Censor. Antv.

ORDO;